

vetere consuetudine, ut non is <qui primus interrex esset, comitia haberet, sed> qui loco secundo crearetur. Non obsequens tamen illi conspiratae multitudini, quam Plautius Hypsaeus et Metellus Scipio concitaverant, in  
 5 periculum deductus est, ut domus eius inpugnaretur et obsidionem dierum quinque pateretur. Cui ad extremum sola factio Milonis auxilio fuit, qua decertante cum adversaria perfectum est, ut exueretur periculo, quo artissime premebatur.

10 Quia nulla vis umquam est in libera civitate suscepta inter civis non contra rem p.

Nimum . . . Adversus propositionem partis adversae facta responsio est tenuiter et anguste. Hoc enim probare conitur illo decreto senatus non factum Milonis  
 15 praedamnatum, set generaliter ipsam vim notatam, quae inter duos evenerat, ut remota faciendi causa displicuerit senatui aliquid per vim inter cives esse commissum, ita tamen, ut non ademerit Miloni facultatem reddendae rationis, cur ab se facinus illud admissum sit. Et hoc  
 20 munit exemplis pluribus eorum, quos ex usu rei p. constabat occisos, ut nihilominus in isdem caedibus vis execranda fuerit, licet pro communi utilitate suscepta.

Itaque ego ipse decrevi.

§ 14.

. . . retinenda hic pronuntiatio est, ut illud sapiat:  
 25 ego ipse, qui P. Clodio inimicus fui, qui Miloni praeter ceteros faveo. Nihil eius causae obfuit illud decretum, ut ei non sim etiam ipse refragatus.